morte eorum non est perpetrata. Excipitur jure romano si quis in crimine deprehensus, aut de crimine postulatus ipse sibi mortem consciverit. Nam si crimen erat ejusmodi, ut conveniret ad illud publicatio bonorum, ejusque mortui memoria ab hæredibus, proximisque ejus non defenderetur, aut illis quamvis defendentibus probari crimen contingeret, bona publicantur: idque eo quod qui sese occidisset, nisi alia causa appareret ob sceleris ipsius conscientiam videtur fecisse, confessusque quodammodo esse crimen suum in necando se. l. 3ª ff. de bonis eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt, l. 1ª, et 1ª cod. eodem tit., l. penultima cod. si accusator vel reus mortuus fuerit.

Hujus disciplinæ rationem nunquam potui satis percipere: id quod alio loco indicavi, et nunc plenius demonstrabo. Nam si crimen est exploratum, cur desideras probationes alias? Si non est exploratum, quid elicere te posse speras, quod conjicere ex illo, aut cur acerbius statuis in illo, quod concepit per dementiam? Conscientiam perpetrati criminis, et quamdam veluti confessionem dicis erumpere ex ipsa sibi illata nece: ideo te in hac re probes acerbiorem, quod in cæteris rebus das, ut morte rei pœna extinguatur, hic placet separo: at est ratis per se

planum, naturique temporibus tandem fere omnes consentiunt, cum cogente natura omnes homines supra alia omnia ament existere, vivere, cum se equiando in semetipsum vehementissime abhorreant animumque, mentisque: mortalium cunctorum non aliter illarum quemque quemquam mortem ipsi sibi, quam si dementia, furorque aliquis eum ante occupaverit (§ 13º).

Etiam criminum gravitate promotæ eædem romanæ leges deflexerunt à regula superiore, ut vellent continuari litem etiam post mortem rei ad publicandas saltem fortunas ejus, ubi is nocens apparuisset. Id statutum fuit in criminibus perduellionis, repetundarum, desertæque militiæ l. ultima ff. ad legem Juliam majestatis, l. 10ª ff. de accusat., l. 15ª § si propter 3º ff. ad senatus consultum Turpilianum, l. 4ª cod. de re militari. Imo in perduellione, repetundisque non modo placuit prorogari judicium posse post rei obitum, sed et incoari, si forte nihil actum fuisset cum illo vivente dicta l. 10ª ff. de accusat.; Antonius Matthæus in lib. 48. tit. 8. ff. cap. 1. num. 1., et in tit. 19. cap. 3. num. 4. ad 6. Utrum cum æquitate, et ratione facile erit judicare ex his postremum, quæ fuerunt judicata paulo ante (hoc eodem § 61º in princ.).

Vetera autem ista, quæ dixi de judiciis crimi-
nalibus, publicationibusque bonorum interdum nec
ni morte impediendis; debuerunt fere omnia avolere,
partea quam Justinianus noster duce humanitate
constituit ad hunc modum: Nimirum si liberi extite-
rint, aut si extiterint etiam parentes ad cognatio-
nis gradum vel tertium, noluit ipse ea damnato-
rum, proscriptorumque fortunis ditescere fiscum, verum
eas ad illas deferri. Tantummodo excepit perduellio-
nem, in qua permanere asperitas anteriorum legum
Novella 134ª. cap. ultimo, Antonius Mat. in lib. 48.
tit. 19. ff. cap. 3. num. 6.

§ 62.

De Præscriptione temporis

Præscriptio sæpe est, præsertim apud jurisconsul-
tos, exceptio, qua judicialis actio eliditur, sicque præ-
scribi dicitur ei, qui judicio agens repellitur per exce-
ptionem l. Qui agnitus 11ª. ff. de except. præscript. &
Vigat vocab. juris in verbo = Præscribere, præscriptio;
Alciatus ad l. [illegible] ut sunt 130. num. 3. ff. de verbo-
rum signif.

In re autem ...

silentio triginta, aut quadraginta annorum, præscribi;
sive perimi obligationes, actionesque universas l. 3. et
4ª. cod. de præscriptionibus triginta, vel quadraginta an-
norum. Id quod fit commodissime: nam et publi-
ce prodest in litium occasionibus non quærendis (§
60. in princ.) et si noceat, nocet privatim, nec sine
causa, propter singularem eam negligentiam, qua in-
credibile est caruisse tam diuturnum silentium.

Commutantur vero ista, fiuntque contraria, si
ex quo aliquandiu homines nequam extiterunt impu-
niti ex eo velimus dissolutam, qua vinciebantur,
obligationem luendæ pœnæ. Hinc namque privatum
tantummodo proponitur commodum sceleratorum vi-
tantium supplicium: at illinc publicum sæpe prodit
damnum in eripiendo supplicii ipsius exemplo salu-
berrimo, in quo innocentium tutela, ac salus posita
est: ea autem re quid perversius? Maxime quo-
niam civitas, magistratusque ejus plerumque non
sunt in vitio, si id genus homines vel cautissime la-
titantes, vel id, quod est frequentius, longissime pro-
fugos apprehendere non potuerunt. Quod si publice
interesse dicatur, ut quemadmodum lites ceteræ, ita
et criminum accusationes aliquando finiantur, ...

multo magis interest, ne malefacta sint impunita: per illam utilitatem civitas cum hoc tanto majore damno non bene mercabitur.

Quamobrem socialis boni parum amicus, aut non satis intelligens mihi videtur, si nimirum facile, et sine discrimine collaudaret praescriptiones hujusmodi. Certe in delictis gravioribus, in quibus plurimum refert esse omnibus patentem videri poenam legitimam nullo modo posse, qui transacto persecutionis tempore, tamen in civitate apparerent soluti atque liberi, exhiberent illi quidem in semetipsis vivo quodam spirantia, et jugiter in civium oculis obversantia exempla impunitatis pestilentissima. Accomodatior praescriptio est ad crimina minus gravia: praesertim si illa non sint e notoriis, sique tantum constituantur temporis ad praescribendum, ut tandem vel in latebris, et squalore vixisse, vel a patriis charissimis sedibus acerbe exulasse, videatur aut aequare, aut prope attingere poenam, quam reus lege erat daturus: ad rem Beccaria dei delitti e delle pene § 13. vers. 1.

Videamus nunc de Jure romano. Hoc jus praescriptionis admittit etiam in maleficiis, vultque annos viginti esse tempus longissimum, quo priventur

crimina omnia quaecumque non fuerint perpetua latere tempore l. [illegible] 1a § sed si 1°, et l. sequenti ff. de requirendis, vel absentibus damnandis, l. querela 12a cod. ad legem Corneliam de falsis. Sunt quippe delicta quaedam, quae extinguuntur citius: veluti adulterium, et peculatus, quae scriptum est non debere durare ultra quinquennium l. 1. § accusatione 10° pr. ff. ad Senatus consultum Turpilianum, l. 29a § [illegible] ff. ad legem Juliam de adulteriis, l. adulter 5a, [illegible] 18a cod. eodem tit. l. peculatus 7a ff. ad legem Juliam peculatus; Antonius Mat. in lib. 48. tit. [illegible] cap. 4° num. 1°.

Ex his intelligitur quod leges sentiunt, cum de nullis criminibus intendunt [illegible] eorum esse perpetuas: id quod affirmant de parricidio in l. ultima ff. de lege Pompeja de parricidiis, de partu supposito in l. qui falsam 19a § accusatio ff. de lege Cornelia de falsis. Videlicet non est legum mens, ut accusationes criminum illas velint esse immortales: sed intendunt de perpetuitate commemorant, ut accusationem, in quibus commemorant, longiorem, quam nonnullarum aliarum, indicent: videlicet: quae tamen vita etiam cum est longissima non est supra annos viginti l. [illegible] 13a ff. de Senatus consulto Silaniano, vel l. quodcumque 3a ff. de

requirendis vel absentibus damnandis, Mat. in lib. ff. 48. tit. 19. cap. 4.° num. 2. ad 5. Eodem plane modo, quo in civilibus, et pecuniariis rebus perpetuas nuncupare actiones, quæ ad triginta pertinent, aut quadraginta annos, qui termini sunt longissimi in eo rerum genere: temporales autem, quæ spatiis clauduntur angustioribus Instit. tit. de perpetuis et temporalibus actionibus in principio vers. Aliquando tamen, Vinnius ibidem vers. certis finibus, l. 3.a, et 4.a cod. de præscript. triginta, vel quadraginta annorum.

Illud autem est manifestum, semel atque præscriptio legitime inducta est, obstituram illam non solis privatis hominibus accusantibus, sed et magistratibus publice, atque ex officio, ut ajunt, in delicta inquirentibus: nam cum præscriptio crimen extinguat, non est amplius, quod accusetur, aut in quod inquiratur l. in omnibus 13.a in princ. ff. de diversis temporalibus præscript., dicta l. 2.a et 3.a ff. de requirendis vel absentibus damnandis, l. 1.a § præscriptio 3.° ff. de jure Fisci, Antonius Mat. loco cit.° num. 8.°

Nihil interest quæsitores criminum sciverint, an ignoraverint jam crimina perpetrata: in hoc enim genere lapsus temporis, et nihil aliud requiritur ad præscriptionem l. 2.a, et 3.a ff. de requirendis l.,

Antonius Mat. num. 9.° Nec sane decet, conditionem reorum fieri pejorem aliqua culpa, culpa videlicet magistratuum, cæterorumque, quorum erat navare solertem indagandis criminibus operam, si propterea, quod isti in isto suo munere defecerunt, reus non præscriberet, et, quod majus est, augerentur, non decrescerent ad hunc modum lites, ubi ad criminum disceptationes veteres accederent, et novæ istæ quæstiones de notitia, ignorantiaque eorum, qui crimina eadem persequi, et ulcisci debebant: quo nihil alienius a mente legum, quæ non minus in his, quam in aliis præscriptionibus eo spectaverunt, ut lites, litiumque facultas nancisceretur aliquem aliquando finem. Hæc ratio est, quapropter in civilibus legibus legimus perspicuis verbis declaratum, nec ignoratione domini suas res, quas alius possidet, minime vindicandis, nec ignoratione creditoris petere, quod sibi debetur, prætermittentis impediri præscriptionem domini, impediri præscriptionem obligationum, actionumque cæterarum; si modo finita a jure in rebus singulis diuturna tempora effluxerint prætereuntia l. ultima vers. nulla scientia cod. de præscriptionibus long. temporis, l. 3.a, et 4.a cod. de præscriptionibus triginta, vel quadraginta annor.,

l. 12. § at hęc l. 2a cod. de crimine peculat. §.

Novitate igitur, de qua dictum est remota necessitate, contenti erimus sola cessatione vicenaria. Cessatum autem per annos viginti non videbitur, si in illo tempore aliquid actum sit, quod ad facinoris coercitionem tenderet: velut si accusatio fuerit intra instituta, et deinde derelicta: sic enim, praescriptione interrupta, superius tempus non prodest; sed ex quo destitutum novissime est, ex eo tempore ducatur initium numerationis novę l. 1a § postremo ff. de jur. fisci, l. 1a. et 4a. ff. de requirendis, l. mulier 11a § sexagesima 6o ad legem Juliam de adulteriis, Antonius Mat. in lib. 48. tit. 19. ff. cap. 4o in fine.

§ 63.

De indulgentia atque venia.

Nolo amitti justitiam, et, quam justitię observatio continet, societatem, quę si semper, aut nimium frequenter pepercerimus: nolo amitti clementiam, et humanitatem, si pepercerimus nunquam. Nam incidunt aliquando causę, in quibus ignoscere et ęquius, et utilius, quam punire. Ita contigit in illo

Horatio, qui victis antea Curiatiis, cum tergemina spolia prę se gerens in romano exercitu princeps rediret, obviam ei facta est Horatia soror, quę desponsa uni ex Curiatiis fuerat. Ita cognito super fratris humeris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat Livius lib. 1o cap. 26o. Quam cum victor excandescens occidit, male fecit, quoniam jus occidendi non erat: at non fecit ex consuetudine delinquendi, neque ex tranquilla malitia, verum ex repentino impetu affectuum, gravique dominantis irę, quę exarsit non sine causa, dum vidit sororem oblitam fratrum mortuorum, et vere de gloriosissimo triumpho suo in patrię felicitate, in summo gaudio publico turpiter deplorantem. Quidquid autem in eo ipso peccavit, damnique attulit, ęquum erat compensari cum tanto majore utilitate, quam ingenti virtute, summoque periculo suo civitati recens rependerat, comparando romanę genti in Albanos imperio. Expendebat etiam servari tam generosum, fortemque militem, tantoque amore patris, ut nec sorori pepercerit, conflagrantem, a quo forte plura alia similia contra Romę hostes in acie speranda erant;